



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri  
Viginti**

**Della Porta, Giambattista**

**Frankfurt, 1607**

Canes pro delitijs qui procreentur. Cap. VII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

canes, vel certè callidiores, & ingenio parentis, quam non corporum modo, sed animarum quoq; bona, male à parentibus in prolem deriuari constet. Quidam inter canes Actæonis:

*Et patre Dictæo, sed matre Laconide nati,  
Labros, & Aglaodes.*

Et Oppianus libro de Venatione:

*Quod si tibi placuerit generosa propago,*

*Vere primum cubile præbeto canibus:*

*Vere enim magis cura Venereares est,*

*Congrua q; inter se similesq; egregiæ stirpes,*

*Arcadicos cum Eleæ misceto, cum Pannoniis Creticos*

*Caricos cū Thracibus, Tyrrenâ stirpē cū Læonibus,*

*Sarmaticumq; mariū adducas ad Ibericam sp̄nsam.*

Sic ex horum animalium commistione canem producere possumus animo leonino, robustitate tigrinum, velocitate vulpina, pelle leopardi, atque oris voracitate, & duritia lupina.

*Canes pro delirijs qui procreentur. CAP. VII.*

QUVM sit homini familiaris canis, perpetuoque cum eo versetur, docebimus & quomodo partus, & qui libenter ludat, generetur, & instituat, & primo,

*Catelli parui quomodo generentur,*

Erant olim in pretio & delectijs mulierum catuli, qui nascebantur in Insula Melita in sinu Adriatico sita: non procul à Ragusio, Meliteus dictus à Callimacho. Quomodo autem generetur, videtur Aristoteles docere Problematum libro, inquit: Cur in animantium genere alia paruo, alia magno constant corpore? cuius causa duplex reddi potest, aut enim locus, aut alimentum id facit, locus, si angustus est; alimentum, si exiguum. Quod etiam partu iam edita nonnulli efficere conantur, ut qui catellos in caueolis oclusos educant, fit enim, ut quamuis breues aliqui sint, modice tamen coagmentatas omnes sui corporis partes habeant, ut Melitenses catelli, ratio quod non ut locus, sic Natura suum efficere opus soleat. Scribit Athenæus diuinitis vehementer

menter in delitijs fuisse canes Meliteos, qui quidem hoc esse videntur in genere canum, quod nani & pumilio- nes inter homines. Hi in delitijs habentur, & lautius a- luntur ad voluptatem non ad usum. Qui eliguntur ad eiusmodi usum, paruuli eliguntur, qui adu- ltr non maiores sunt mure, sit quadratus corpore, non magni ca- pitis, rostro paruo, naso simo, qui ad hoc opus infringi- tur, dum est paruus, auribus longis, cruribus breuissi- mis, pedibus angustis, oblonga cauda, collo, longiuscu- lis pilis ad armos vsq; veluti iubato, cæteræ partes ten- sis similes, candidus, vel totus hirsutus, prolixis admo- dum pilis. Hos vbi caueæ occluseris, pauco cibabis bo- lo, vt nusquam saturi sint, quos cum alijs minimis co- ire curabis, vt minores nascantur. Ita enim Hippocrates de populis Septentrionalibus narrat, qui ab infantia manibus eorum capita contrectantes faciunt, vt adulti eadem forma remaneant, qua forma ex semine fit ge- nus, vt omnes eodem modo nascantur. Si vero vis

*Canis mimicus nascatur.*

Qui ludat libenter, & huc, illuc saltet, ac leniter latret, & absque morso mordicet, & erectos pedes anteriores instar manuum protendat, & quod proiectum fuerit, rostro reportet. Hos cum simia conuersari faciamus, & cum ea versari consuescat, multa iocosa, & risu digna fa- cere condiscet, quod si etiam cum ea coierit, natus canis ex eis omnium aptissimus ad ludos, quales agyræ, & circumforanei ad ludos, mimica, vel histrionum opera facere canes ostendunt. Optime etiam fuerint ex vulpe nati, vt habetur ex Alberto.

*Quomodo aliter canum vitia possint emendari.*

CAP. VIII.

POSSVMVS & alio modo canum vitia emendare, & novos habitus inducere, scilicet ex alimentis: sepius enim diximus hauriri mores cum lacte. Vt igitur fiant

*Canes robusti, & veloces.*

Columella docet. Quorum generosam volumus indo-